*Theodorus*, sedit diebus uiginti.

*Johannes*, sedit annis II, diebus XV. Hic pugnam fecit cum romanis.



*Benedictus*, natus romanus, sedit annis III, mensibus III.

*Leo*, sedit diebus sexaginta.

*Christoforus*, sedit mensibus VII. Hic eiectus de papatu factus est monachus.

*Sergius*, natus romanus, sedit annis VII, mensibus III, diebus XIV. Hic fuit filius cuiusdam sacerdotis.

*Anastasius*, sedit annis II.

*Lando*, natus romanus, sedit mensibus VII.

*Johannes*, sedit annis XIII, mensibus II, diebus III. Iste inuasor fuit archiepiscopatus Rauenne, unde ab omni populo Rauennatis depositus fuit.

*Leo*, natus romanus, sedit mensibus VII.

*Stephanus*, sedit annis II, mense I. Hic fuit fautilatus a quibusdam romanis.

*Johannes*, sedit annis IIII, mensibus X. Hic fuit filius Sergii pape.

*Leo*, sedit annis III, mensibus VI, diebus XIII.

*Marinus*, sedit annis III, mensibus VI, diebus XIII.

*Agapitus*, sedit annis X, mensibus VI, diebus X.

*Johannes*, sedit annis II. Hic fuit filius Alberici, principis romanorum.

*Benedictus*, sedit mensibus duobus.

*Leo*, sedit anno I, mensibus IIII. (fol. 156r. a).

*Johannes*, sedit annis VII, mensibus XI. Hic fuit a Petro Prefecto captus et in castello Sancti Angeli incarceratus.

*Benedictus*, sedit anno I, mensibus VI. Hic fuit captus a Cinchio et strangulatus.

*Dopnus*, sedit anno I, mensibus VI.

*Bonifacius*, sedit mense uno.

*Benedictus*, natus romanus, sedit annis VIII, mensibus VI. Hic fauore imperatoris multos ex romanis capi fecit.

*Johannes*, sedit mensibus VIII.

*Johannes*, sedit mensibus IIII.

*Johannes*, natus romanus, sedit annis X, mensibus VII. Hic fuit in artibus eruditissimus.

*Gregorius*, natus saxonus, sedit annis II.

*Johannes*, sedit mensibus X.

*Silvester*, sedit annis IIII, mensibus II. Iste fuit Gilbertus. Huius tempore completus est millesimus annus ab Incarnatione Domini.

*Johannes*, sedit mensibus V.

*Johannes*, natus romanus, sedit annis V.

*Sergius*, sedit annis II, mensibus VIII. Iste fuit sancte vite et caste conuersionis.

*Benedictus*, natus tusculanus, sedit annis XI, mensibus X, diebus XXI.

*Johannes*, sedit annis VIII, mensibus VIII.

*Benedictus*, natus tusculanus, sedit annis XIII. Iste fuit eiectus de papatu et factus est quidam alius, unde tunc maxima scisma fuit.

*Silvester*, sedit diebus LVI.

*Gregorius*, sedit annis II. Hic cum rege Henrico bellum habuit.

*Clemens*, sedit mensibus VIII. Hic inuasor fuit et per uim papatum habuit.

*Damasus*, sedit mense I.

*Leo*, natus alemanus, sedit annis II, mensibus III. Hic timore imperiali factus est papa.

*Stephanus*, sedit mensibus VIII. (fol. 156 r. a).

*Benedictus*, sedit mensibus VIII.

*Nicholaus*, natus burgunensis, sedit annis II, mensibus VI.

*Alexander*, natus mediolanensis, sedit annis XI, mensibus V, diebus XXV. Contra hunc papam pugnauit cadolus rex qui erat potentissimus.

*Gregorius*, sedit annis XII, mense I, diebus III. Hic captus a Cinchio Stephani in nocte Natalis Domini.

*Victor*, sedit anno I.

*Urbanus*, sedit annis XI, mensibus III. Huius tempore dux Boimundus et christiani recuperauerunt sepulcrum.

*Paschalis*, sedit annis XVIII, mensibus V. Hic dum coronaret Henricum imperatorem captus est ab eo cum tota Curia sua.

*Gelasius*, natus romanus, sedit annis II. Hic dilexit multum ciuitatem romanam.

*Calixtus*, sedit annis V, mensibus X, diebus XIII.

*Honorius*, sedit annis V, mensibus II, diebus III.

*Innocentius*, natus transtiberinus, sedit annis XIII, mensibus VIII, diebus VIII. Hic celebrauit sinodum Rome in basilica Sancti Saluatoris.

*Celestinus*, sedit mensibus V, diebus VIII.

*Lucius*, natus bononiensis, sedit mensibus XI, diebus III.

*Eugenius*, natus pisanus, sedit annis VII, mensibus III, diebus XX. Huius tempore senatus renouatur in alma urbe romana.

*Anastasius*, natus romanus, sedit anno I, mensibus III, diebus XXIII.

*Adrianus*, natus anglicus, sedit annis III, mensibus VIII.

*Alexander*, natus tuscus, sedit annis XXI, diebus XI. Hic celebrauit sinodum in ecclesia Lateranensi et quatuor deiecit scismaticos.

*Lucius*, natus tuscus, sedit annis IIII, mensibus II, diebus XVIII.  
*Urbanus*, natus lombardus, sedit anno I, mense I, diebus XXV.  
Huius tempore Jherusalem capitur per sarracenis.

*Gregorius*, sedit mense I, diebus XXVIII. Hic moritur apud Pisas.

*Clemens*, natus romanus, sedit annis III, mensibus II. Hic (fol. 157r. a) Lotharium cardinalem fecit, qui postea Innocentius papa dicitur.

*Celestinus*, natus romanus, sedit annis V, mensibus VIII. Iste secundo die pontificii sui coronauit Henricum imperatorem.

*Innocentius*, qui fuit decus et gloria clericorum, natus campanus, mense januarii, die VIII, electus est apud Septisolium sicut dicunt illi uersus quos Magister Martinus, episcopus Zemorensis, composuit:

«Qui Petro pridem cathedram tibi terminus idem,  
Prebens illud idem quod Petrus sumpsit ibidem,  
Set magistratus ubi quando fuit cathedratus,  
Accipiens apicem quem petit atque uicem,  
Hic enim quantus fuerit in omnibus gloriosus,  
Opera eius testimonium peribent ueritati,  
Nam lingua eius gladius acutus,  
Fulgent enim splendida facta eius,  
In Urbe pariter et in orbe».

Fecit enim inter cetera hospitale Sancti Spiritus, et renouauit ecclesiam Sancti Spiritus. Composuit etiam Decretales, Sermones, Librum de Missa, et Librum de Miseria hominis et Psalmos penitentiales alia gloriosa.

Anno uero XVIII pontificii huius, mense nouembris, in basilica Lateranensi, que Constantiniana uocatur celebratur Concilium Generale, ubi pene corpus totius uniuersalis Ecclesie conuenitur.

Post hunc *Honorius*.

Post *Honorius*, *Gregorius*.

Post *Gregorium*, *Celestinus*.

Post *Celestinum*, *Innocentius*.

(fol. 151v. b)

*Octouianus Augustus*, imperauit ante Natiuitatem Christi X annis, XLII, et post Christum annis XIII. Iste totum mundum in unam redigens monarchiam in literarum studiis nimis uixit intentus, set tamen libidinosus et inuidus fuit. Tandem occisores Iulii Caesaris interfecit.

*Tiberius*, tempore Ihesu Christi imperat annis XVIII. Iste fuit preuignus Octauiani et magnus uini potator, et quia Gladius Tiberius Nero dicebatur eleganter, a ioculatoribus Chaldius Biberius Mero ob ludibrium nominatur. Prudens, sapiens et fortunatus, set insidiosus extitit et crudelis. Uixit tamen post mortem Christi quinque annis.

*Gayus*, tempore Petri imperat annis III, mensibus X. Iste sceleratissimus duabus sororibus strupa intulit ex una quarum filiam sibi natam congnouit.

*Nero*, tempore Petri imperat annis XIII, mensibus VII, diebus XXVIII. Iste pessimus Romanum Imperium minuit et Senatum destruxit. Matrem et sororem et magistrum interfecit, et Christianis primam intulit persecutionem. Alba in Ybernia, Vitellus in Germania, Otto Rome imperium per annum sese interfecerunt.

*Vespasianus*, tempore Lini imperat annis VIII, mensibus XI. Iste fuit optimus imperator.

*Tytus*, tempore Lini et Cleti imperat annis III. Iste bonus fuit et largus, qui Iherusalem cum patre suo Vespasiano subuertit, ut ait Paulus in Hystoriis Romanorum. (fol. 152r. b).

*Domicianus*, tempore Cleti et Clementis imperat annis XIII. Iste frater Titi fuit. In initio utique bonus set in fine pessimus, qui secundam post Neronem christianis intulit persecutionem.

*Nerua*, tempore Clementis imperat anno I, mensibus III. Iste que Domicianus fecerat dapnauit. Inde est quod beatus Johannes Euangelista per hunc ab exilio reuocatur.

*Traianus*, tempore Clementis, Anacleti imperauit annis XVIII. Iste prudens et bonus rem publicam auxit et colupnam Rome fecit que adhuc suo nomine Traiano uocatur. Tandem non per se set per consiliarios suos tertiam christianis iussit inferri persecutionem.

*Adrianus*, tempore Euaristi pape, Alexandri et Xisti imperat annis XXI. Iste in omnibus gloriosus leges multas condidit et iudeos

subiugavit, qui etiam in hac Urbe colupnam suo nomine fieri fecit.

*Antoninus Pius*, cum filiis, tempore Thelesofori et aliorum imperat annis XXII, mensibus III. Iste gener Adriani et in filium adoptatus in omnibus extitit gloriosus. Erga christianos pius fuit. Herarium opulentum reliquit, et rem publicam ampliauit. Post mortem uero eius tanquam Romulus colluctatur.

*Marchus Antonius Verus*, cum fratre Aurelio Lucio Commodo tempore Ygini et aliorum imperat annis XVIII. Ab isto Roma incipit duos imperatores habere. Iste Marchus optimus, tamen a suis mota est quinta persecutio.

*Commodus Aurelius* cum Lucio Antonio tempore Sotheris pape et Eleutherii imperat annis XIII. Iste nichil boni fecit nisi quod contra germanos feliciter pugnauit. Fuit enim nimium luxuriosus, multos interficiens senatores et Saluium Julianum legislatorem tandem ab uxore ue- (fol. 152v. b) neni poculo mortuus est.

*Helius Pertinax et Seurus*, tempore Eleutherii, Victoris et Zeferini imperat annis XVIII. Iste nimis equissimus non sponte suscepit imperium obsecrante Senatu. Uxorem et filios Augustos uocari precepit. Tandem seditione pretorianorum militum et Saluii sclere uulneribus obruncatur.

*Antonio Caracalla*, tempore Ceferini et Calixti imperat annis VII. Iste fuit filius Seuerini imperatoris et pessimus homo.

*Macrinus*, tempore Calixti imperat anno I. Iste ob inuidiam trucidatur.

*Alexander*, tempore Urbani et Ponciani pape imperat annis XIII. Iste ab exercitu Cesar, a Senatu dictus est Augustus. Persas in bello uicit qui tandem apud Maguntiam decollatur.

*Maximianus*, tempore Ponciani, Antheros et Fabiani pape imperat annis XIII. Iste primus ex corpore militari imperator factus consentiente Senatu. Bellicosissimus fuit et prudens in omnibus qui germanos superauit et parctos.

*Gordianus*, tempore Fabiani imperat annis VI. Iste interficitur fraude Phylippi sequentis imperatoris.

*Philippus* cum filio suo Phylippo, tempore Fabiani imperat annis VII. Iste fuit primus imperator christianus cum filio suo per Fabianum papam.

*Decius*, tempore Cornelii imperat anno I. Iste in omnibus malus septimam dedit persecutionem.

*Gallus* cum Volusiano, tempore Cornelii et Lutii imperat annis II, mensibus III.

*Valerianus* cum filio suo Galieno, tempore Lutii, Stephani et aliorum imperat annis XV. Iste in Mesopotamia a Sapore, rege Persarum, uictus est. (fol. 153r. b).

*Claudius*, tempore Pontiani imperat anno I, mensibus VIII. Iste gotos uicit.

*Aurelianus*, tempore Pontiani et Gai imperat annis XV. Iste Gotos iuxta Danubium uicit et dum persequeretur christianos a suis interficitur.

*Tacitus*, tempore Gai imperat annis VI. Iste egregius fuit.

*Probus*, tempore Gay imperat annis III, mensibus IIII. Iste duos reges uicit.

*Florianus*, tempore Gai imperat anno I, diebus XX. Huic, incisis uenis, mortem infertur.

*Carus* cum filiis Carino et Numeriano, tempore Marcellini imperat annis duobus. Iste de Persis triumphans ictu fulminis perit.

*Dioclecianus* et Maximianus, cum Constantino et Licinio tempore Marcelli imperauerunt annis XX. Iste Dioclecianus obscure natus persecutionem christianis per X annis intulit. Tandem ueneno perit.

*Valecrius* cum Constancio et Licinio, tempore Marcelli imperat annis II. Iste Constancius Hispaniam subegit et filiam regis Britannie nomine Helenam suscepit uxorem de qua genuit Constantinum Magnum.

## HIC TRANSIT IMPERIUM

### A ROMANIS AD GRECOS

*Constantinus*, imperator, sub Eusebio, Melchiade et Siluestro imperat annis XXX, mensibus X, diebus XI. Iste, deuictis Maxencio et Licinio Maximo et Seuero imperatoribus, a Siluestro papa causa mundandi a lepra baptizatus est, unde omnes imperiales dignitates ei concessit et ipse Constantinopolim transiit.

*Constantinus*, filius Constantini, cum Constancio et Constante fratribus sub Marcho, Julio et Liberio papa imperat annis XXV. Hiis fratribus dimicantibus, romane uires consumuntur. Postea solus Constantinus triumphans imperium tenuit et christianus fuit. (fol. 153v. b).

*Julianus*, tempore Liberii et Felicis imperat annis duobus, mensibus VIII. Iste nepos Constantini fuit qui tantum imperium concupiuit ut etiam christianam religionem dimitteret et christianos persequeretur. Tandem inuisibiliter percussus male perit.

*Jouianus*, tempore Liberii imperat mensibus VII. Iste christianus fuit et cum Sapore, rege Persarum, pacem habuit. Corpus Juliani sepehuit.

*Valentinianus* cum fratre Valente, tempore Liberii et Damasi



imperat annis XI. Iste christianus fuit et Saxones deuicit, set frater eius Valens arrianus effectus uoluit persequi christianos, set iste non permisit.

*Valens* cum Gratiano et Valentiniano, tempore Damasi pape imperat annis III. Isti tres imperiales archus Rome fecerunt.

*Theodosius* cum Valentiniano, sub Damaso et Siricio imperat annis XI.

*Archadius* cum Honorio, sub Siritio et Anastasio et aliorum imperat annis XIII. Istorum tempore Roma capta est a gothis.

*Honorius* cum Theodosio, tempore Innocentii imperat annis XV. Istius tempore rex gothorum Radagius ab exercitu Rome occisus est.

*Theodosius* minor cum Valentiniano genero tempore Bonifacii et aliorum imperat annis XVII. Iste, accepto imperio, statim Valentinianum, filium amice sue, cesarem fecit. Interea Bonifacius in Africa rebellauit; missi sunt autem contra eum duo duces qui occiduntur ab eo. Tandem interponentibus romanis pacem fecit cum imperatore. Alani, enim, et uandali et hispani iuuabant Bonifacium.

*Valentinianus et Marcianus*, tempore Leonis pape imperauerunt annis VII. Eo tempore Athila, rex Hugnorum, cum romanis uolebat pugnare (fol. 154rb.), set Patricius romanorum auxilio Theodorici, regis Gothorum, superauit.

*Leo*, tempore Leonis et aliorum imperat annis XVII. Iste omnes ymagines quas in urbe romana inuenit Constantinopolim transportauit ibique omnes incendit.

*Zeno*, tempore Simplicii imperat annis XVII. Iste prudens fuit et leges plurimas fecit.

*Anastasius*, sub Felice et aliorum imperat annis XXVI (sic). Huius tempore Rome magna discordia orta est propter electionem Laurentii et Symachi pape Festus et Linus, consules, cum Laurentio erant et pugnabant cum adiutoribus Symachi multa homicidia in Urbe facientes, maxime clericis. Tandem papales obtinuerunt.

*Justinus*, tempore Hormisde et aliorum imperat annis VIII. Iste ardore fidei certabat ut hereticos dissiparet, quod audiens Theodoricus qui regnabat in Ytalia, qui arrianus erat, duxit nuncios suos in Constantinopolim ad Justinum imperatorem dicens quod nisi ecclesias illis hereticis redderet omnem Ytaliam deuastaret.

*Justinianus*, tempore Felicis, Bonifacii et aliorum, imperat annis XXXVIII. Iste per Bellisarium, patricium, de Persis triumphauit. Interea Athanaricus, rex Gothorum, defunctus est. Mater, uero, quendam Deodatum in regno secum associauit qui postea strangulari eam fecit. Unde propter hoc Justinianus indignatus est. Deodatus, uero, misit ad eum papam Agapitum ut huius indignationem mittigaret, set papa inuenit Justinianum in errore eum dicens cui



in primis stetit rex, ad quem papa. Ego Justinianum inuenire putauī christianissimum set Diocleianum inueni illum tamen ad ultimum conuertit<sup>7</sup>. Iste Justinianus (fol. 154vb.) leges edidit et assumauit in Codice uel Digestis.

*Justinus*, tempore Johannis imperat annis XI. Septimo anno imperii huius completus est idus unius pace.

*Tiberius*, tempore Johannis et aliorum imperat annis VII. Istius tempore Longobardi Italiam magna manu ceperunt et depopulati sunt eam, et Gothi qui erant pagani et heretici facti sunt christiani.

*Mauricius*, sub Pelagio et Gregorio imperat annis XX. Iste prudens, facundus et strenuus fuit in armis.

*Focas*, imperator, tempore Gregorii, Fabiani et aliorum imperat annis VIII. Iste rogatus a Bonifacio papa concessit ut quoddam templum Rome, quod Pantheon dicebatur, consecraretur ad honorem Omnium Sanctorum. Etiam decreuit ille ut Sedes Apostolica Beati Petri apostoli esset caput et magistra omnium ecclesiarum quia Ecclesia Constantinopolitana se primam omnium ecclesiarum scribebat.

*Eraclius* cum Constantino filio suo, tempore Bonifacii, Deusdedit et aliorum imperat annis XXI. Tercio imperii istius Chosdroe, Persarum rex, tulit partem Romane reipublice. Cepit deuastauitque Jerosolimam et uenerabilia loca incendit, qui etiam populorum copias captiuas una cum patriarcha Zacharia et cum precioso Ligno Sancte Crucis in Persidem duxit. Anno Eraclii XII. Chosdroe, persarum rex, interemptus est per Eraclium. Tunc etiam captiua plebs cum Sancta Cruce reuocata est. Eodem tempore Mahometus, propheta Sarracenorum, surrexit qui seduxit illam unieuersam multitudinem cum falaciis et seductionibus suis.

*Constantinus*, filius Eraclii, tempore Theodori, Martini et aliorum imperat annis XXVIII. Iste interfectus est in Sicilia, sub quo plurima pars reipublice a Sarracenis desolata est (fol. 155rb.). Iste pessimus imperator Martinum papam non ueritus est interficere.

*Constantinus*, filius Constantini, sub Deodato, Dono, papa, et aliorum imperat annis XVII. Istius tempore quinta Synodus Constantinopolim celebratur contra Gregorium patriarcham.

*Justinianus*, tempore Conon papa Serpii imperat annis X. Iste bonus fuit et largus et Romanum Imperium auxit nimium. Cuius gesta leas in Pantheon Gutifredi.

*Leo*, imperator, sub eodem Sergio papa imperat annis III.

*Tiberius*, sub Johanne papa imperat annis VII. Istius tempore Gisulfus, dux beneuentanus, totam Campaniam deuastauit.

7. Debe tratarse de un *locus corruptus* que aparece con las mismas expresiones en la copia del Archivo Catedral.

*Justinianus*, tempore Sysermii et Constantini imperat annis VI. Iste non est ille Justinianus qui leges assumavit set superior fuit.

*Philippus*, sub eodem Constantino imperat anno I, mensibus VI.

*Anastasius*, imperator, tempore Gregorii imperat annis III.

*Theodosius*, imperator, tempore Gregorii eiusdem imperat anno I, set cum Constantino filio suo, tempore utriusque Gregorii, imperat annis XXV. Hic fuit hereticus et excommunicatus unde totam Apuliam domino pape abstulit.

*Constantinus*, cum matre sua Yrene tempore Zacharie pape imperat annis X, mensibus II, diebus II. Postea cum Leone filio suo et Pipino, rege Francorum, et Patricio romanorum eiusque filii Carulo et Carlomagno imperat annis XV.

## HIC TRANSIT IMPERIUM

### AD FRANCOS

*Carolus*, primus imperator Francorum, tempore Leonis pape imperat annis XIII, mensibus I, diebus IIII. Iste autem cum esset imperator precibus Adriani uocatus obsedit Longobardos in Papia ubi cepit Desiderium regem et uxorem eius, quos captivos portavit in Franciam, qui veniens Romam confirmavit omnia que pater eius Pipinus dederat beato Petro adjuncto ei Ducato Spoletano et Beneuenta- (fol. 155vb.) no, et ob hoc ipse romanorum imperator effectus. Huius tempore Comites Palatini Rollandus et ceteri sarra- cenos in Hispania deicerunt, set proditore Gaynonis Comitum mor- tui sunt. Sunt, igitur, anni ab Incarnatione Domini usque ad Caro- lum Magnum octingenti duo.

*Lodouicus*, filius Caroli Magni, tempore Stephani pape, Pascalis et aliorum imperat annis XV. Iste cum duos fratres haberet unum qui Theotoni- am alium qui Hispaniam regebant ambos superavit et imperium adeptus est.

*Lotharius*, tempore Gregorii pape, Sergii et aliorum imperat annis X, et cum Ludouico filio suo annis V. Hic christianissimus Romanum Imperium stremitate sua multum auxit.

*Carolus*, tempore Johannis pape imperat anno I, mensibus VIII.

*Carolus*, qui dicitur Caluus, tempore Johannis pape, Marini et aliorum imperat annis VIII.

*Ludouicus*, tempore Christophori et Sergii pape, imperat annis VI. Ab isto loco incipiunt Ytali- ci imperare exempto enim imperio a Francis fertur ad Ytalicos sententia romanorum quoniam Franci non iuuabant Romam contra Longobardos rebellantes.

## HIC TRANSIT AD YTALICOS

*Berengarius*, tempore Sergii, Anastasii et aliorum imperat in Ytalia annis VIII cum filio suo Berengario. Iste cum infirmaretur quod non bene sentiebat de Corpore Christi purgavit se.

*Vgo*, tempore Johannis et Leonis imperat in Ytalia annis XVII cum Berengario filio suo. Istius tempore Vngari, qui circa Danubium habitant, totam Yspaniam deuastauerunt, nam etiam hac tempestate sagite ignee uise sunt in celo.

*Lotharius*, imperator, tempore Agapiti imperat (fol. 156vb.) annis XII. Istius tempore sol factus est sicut sanguis, unde post paucos dies infiniti homines sunt occisi.

*Berengarius*, sub eodem Agapito et Johanne et aliorum imperat annis XI cum Alberto filio suo.

## HIC TRANSIT IMPERIUM

### AD THEOTONICOS

*Otto*, primus imperator Theotonicorum, tempore Johannis pape et Benedicti imperat annis VI. Exempto, enim, imperio ab Ytalicis, soli Theotonicis imperauerunt usque ad presens tempus. Iste Flagellum Mundi dicebatur.

*Otto*, tempore Johannis, Benedicti, Dompni et aliorum imperat annis XXI. Iste, dum grecos in Calabria incaute persequeretur, amissis militibus, de nauí exiliens euasit. Demum, uero, exercitum congregans Beneuentum obsedit, quo capto, ossa Beati Bartholomei apostoli inde asportauit ac Rome in insula Tiberini in tuba porfiria collocauit, et in terram suam per Tiberim et mare in prefacto sarchofago portare excogitauit, set, eo in breui vita exempto, preciosus thesaurus ibi remansit.

*Otto*, tempore Gregorii pape, Johannis, Siluestri et aliorum imperat annis XII. Post mortem uero istius cessauit imperium annis XII. Hii duo Ottones tam feroces et tam mirabiles fuere ut unus Pallida Mors Sarracenorum seu Sanguinarius, alter Mundi Mirabilia diceretur.

*Henricus*, tempore Benedicti pape, Johannis et aliorum imperat annis X. Nota quod plures sunt Henrici reges quam Henrici imperatores, unde cum legitur Henrici imperatores primus ratione imperii dicitur primus, set ratione Henricorum dicitur secundus. Fuit, enim, quidam rex Henricus ante istum. Idipsum intellige de Corradis.

*Corradus*, sub Johanne, Benedicto et Siluestro pape imperat annis XV. Post mortem uero eius cessat imperium annis III (fol. 156vb.).

*Henricus*, tempore Gregorii pape, Clementis et aliorum imperat annis XI, et cessat imperium annis XXVI. Iste ueniens in Ytaliam Pandulfum, principem Capuanum, cepiens super Throiam uictum secum asportauit et alium quendam Pandulfum, comitem Theatensem, principem ordinauit. Huius etiam tempore Normani intraerunt Romam.

*Henricus*, sub Gregorio papa, Victore et aliorum imperat annis XVI. Istius tempore christianorum gens ad Sepulcrum Domini de toto mundo processit duce Boimundus qui Jherusalem a Sarracenis uiriliter abstulerunt.

*Henricus*, tempore Pascalis pape, Gelasii et aliorum imperat annis XV. Iste, imperio suscepto, patrem suum capiens in uinculis mori fecit. Huius enim tempore Robertus Guiscardus uicit Alexium et Chicumanum imperatores Constantinopolitani. Iste Robertus quidam Francigena fuit qui uenit Romam cum exercitu uolens, si posset, Urbem occupare, set, illo vi repulso, intrauit regnum Apulie quem paulatim cepit. Hic habuit filium Rogerium, regem Syculorum, et filiam Constantiam imperatricem matrem istius Frederici qui contra Ottonem promotus est. Item Rogerius genuit Guillerum, regem Apulie, qui fuit in omnibus gloriosus cuius tempore regnum Apulie in diuitiis et delitiis pre ceteris florebat regnis.

*Lotharius*, tempore Honorii pape et Innocentii imperat annis XII. Huius tempore famis ualida fuit fere per uniuersum mundum et hoc propter inmunditiam aquarum.

*Corradus*, tempore Innocentii, Celestini et aliorum imperat annis XV. Huius tempore quidam magister Arnaldus predicabat in urbe Roma reprehendens diuitias et superfluas clericorum, cuius dicta (fol. 157rb.) multi magnates romanorum sequebantur. Captus tamen ob inuidiam clericorum suspenditur et crematur.

*Fredericus*, tempore Adriani pape, Alexandri et aliorum imperat annis XXXV. Iste enim largus, facundus, strenuus et in omnibus prudens fuit, nam Mediolanum pene penitus destruxit. Iste longo tempore fouit scisma contra Alexandrum papam III. Tandem apud Venecias uenit ad papam et collum sub pedibus pape submitit papa dicente contra ipsum «super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et drachonem». Iste dum iret ad Terram Sanctam cum magno exercitu in quodam paruo flumine dum se balnearet suffocatur quod salefficum. Quicumque enim uoluerit scire acta istius legat Ystorias eius que Frederice uocantur.

*Henricus*, sub Celestino et Innocentio imperat annis VII, mensibus V. Iste primo anno imperii sui Neapolim, ciuitatem inclitam,

obsidens in orbe tam ipso quam exercitu confecto reddiit Alemaniam. Anno uero quarto reuertens totum regnum Apulie subiugauit ubi pluribus rebelles diuersis penis cruciatur. Filium Trancredi, regis Syculorum, cum matre et Margarito, rege Epmotarum, secum in Alemaniam duxit captiuos.

*Otto*, Saxonis gente XII anno Innocentii presidente coronatur in Basilica Sancti Petri, qui recepta corona pugnam habuit cum romanis. Demum, uero, intrans regnum Apulie contra uoluntatem domini Pape maximam partem consilio et fauore quorundam predictorum regis Frederici subiugauit, unde propter hoc excommunicatus Innocentius statuitur (fol. 157va.) quod principes Alemanie quarto anno imperii sui Fredericum predictum in romanorum imperatorem eligerunt, qui ueniens per mare usque Romam a domino Papa et populo romano honorifice recipitur et in Alemaniam mittitur contra Ottonem, quem Ottonem, etsi non bellis, tamen angustiis superauit unde post eum superuixit.

*Fredericus*, filius Henrici imperatoris ab Honorio papa tertio Rome coronatur. Iste ad instanciam et preceptum domini Pape primo die imperii sui quasdam leges promulgauit que multum faciunt ad augmentum Sancte Ecclesie et prerogatiuam clericorum. Explicit.

*Iste liber est conuentus Cordube et fuit traditus conuentui fratris Petri de Sancto Andrea rogamine.»*

